

terum Sapientes, quando *rerum essentias esse sicut Numeros*: & omnia *Tetraecty constare*, toties ingeminarunt. Sed hæc omnia saltem intimari vel indicari possunt hoc loco, non expediri, non exponi, non explicari: saltem ut eminè appareat, quorsum cogitationes nostræ dirigendæ sint, ut formam rei genuinam, quam principii vel inchoamenti loco certo nomine, quodcumque fuerit, (ut in Algebra quæsitam Radicem) insignire solemus, exercitè cognitam, exactè perspectam, ipsamque adeò scientiam omnibus numeris suis absoluteam, obtineamus.

CAPUT VI. De Privatione.

§. 1.

Hucusque de modali corporis principio, nempe de *Formâ*, quatenus principium & inchoamentum largitur cognitioni de corpore, *conceptu positivo* constans, quo certus modus in corpore, priùs indistinctè *supposito*, tanquam in materiâ, quasi *positus* concipitur, juxta quem modum *disposita* materia *tale* corpus, h. e. *certam* corporis *speciem*, sistit. Jam ex adversoquoque *Remotionem* hujus modò positi principii paucis contemplabimur, ut eatenus etiam utrinq;, quasi pro & contra, perspectum habeamus corpus.

§. 2. Licet autem, remotâ materiâ Corporis, prorsus *Nihil* corporis in intellectu cogitantis remaneat, vel, discretè loquendo, licet, hâc remotione corporis ex mente, quâ ne quidem indistinctum principium ejus attenditur, nullus numerus, ne quidem unitas, ne dum pluralitas, partium corporalium, adeoq; planè nihil, quod dicimus *Nullum*, ibidem eluceat, ut supra diximus; tamen remotâ formâ corporis, non statim absolute nihil corporis in mente remanet, cùm materiæ conceptus, ipsarumque partium pluralitas, adhuc ibidem hæreat, pro subiecto puro vel indistincto, qnod adhuc aliquid in intellectu ponit, utut modus nullus insimul attendatur. Res enim indistinctè spectanda sine distinctionis intuitu, sine modo, concipi potest; Modus autem rei, quatenus rem ipsam distinctè representare debet, non potest sine rei mentione cogitari. *Paucis Numeris*

fine